



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

§. II. Solvuntur objectiones,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

in via bibet, propterea exaltabit caput. Torrentem appellat cursum rerum humanarum: quomodo enim torrens magno impetu & sonitu fluit, & turbidus ac turbatus incedit; & paulo post cessat, & ne vestigium quidem sui relinquit: sic sunt res humane, tempore huius mortalitatis; transeunt enim omnia, & ut plurimum turbida & turbata: audiuntur sæpe maxima prælia, & turbationes gentium & populorum, ut tempore Alexandri magni, Cæsaris, Gustavi, Suetiorum Regis, & similium: sed paulo post finem accipiunt, tum ipsi, tum posterorum, & vix inveniuntur vestigia potentie ipsorum. Ad hunc torrentem descendit Filius Dei per Incarnationem suam, & in via, id est, in spatio vite sue mortalis & transiens, bibit aquam turbidam huius torrentis, tulit ærumnas nostre mortalitatis; imò etiam in profundum torrentis descendit per passionem, juxta illud Psalm. 68. *Inraverunt aquæ usque ad animam meam, infixus sum in limo profundum, & non est substantia.* Merito igitur huius tantæ humiliationis, sponte susceptæ pro gloria Patris, & salute generis humani, & gravissimorum dolorum quos pertulit, pertranseundo torrentem mortalitatis nostre, exaltavit postea caput in resurrectione & ascensione sua, triumphans de hostibus in æternum, sedensque ad dexteram Patris, & constitutus iudex vivorum & mortuorum. Unde Tertullianus lib. de corona militis: *Christus favos post sella gustavit, nec ante Rex gloria in caelestibus salutus, quam Rex Iudeorum proscriptus in cruce.* Et Augustinus Tract. 104. in Joan. *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est premium.* Quam claritatem Christus à Patre petebat Joan. 17. his verbis: *Ego te clarificavi super terram, opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam, & nunc clarifica me tu Pater.* Hinc etiam D. Bernardus serm. 3. de Ascensione Domini infert, Deum, licet naturâ suâ perfectissimus sit, & nihil ipsi ad augmentum accedere possit, nec ad decrementum decedere, modum tamen per Incarnationem invenisse, quo proficeret. *Christus (inquit) cum per naturam divinitatis non haberet quod cresceret, ascenderet, vel proficeret; per descensum quomodo cresceret invenit, veniens incarnari, pati, mori, ne moremur in æternum: propter quod Deus exaltavit illum.*

Probatur secundo conclusio ratione D. Thomæ hic art. 3. Habere aliquid per meritum, dignius & perfectius est, quam illud habere sine merito, si cetera sint paria; hoc est si majoris dignitatis detrimentum non sequatur: Sed potuit Christus habere ex meritis gloriam sui corporis, & sui nominis exaltationem; nec sequitur ex hoc detrimentum majoris alicujus dignitatis: Ergo utramque Christus meruit.

Confirmatur: Actibus Christi Domini nulla ex conditionibus ad meritum requisitis defuit in ordine ad gloriam corporis, & alias illa non se tenuit ex parte principij meriti, sicut unio hypostatica, & gratia habitualis: Illam etiam ab initio conceptionis non habuit, sicut gloriam & beatitudinem animæ; sed eâ caruit toto tempore vite mortalis, ut locus redemptioni hominum, per passionem & mortem daretur: Ergo licet Christus unionem hypostaticam, gratiam habitua-lem, & gloriam animæ non meruerit, gloriam tamen corporis, mortis & passionis suæ sibi promeruit. Idemque de nominis sui exaltatione dicendum est. Unde Apocal. 5. dicitur: *Dignus est agnus qui occisus est, accipere virtutem & divi-*

nitatem; sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Quæ omnia pertinent ad nominis exaltationem, atque gloriam corporis ipsius Christi, & resurrectionis ejus, in qua divinitatem accepisse dicitur, quia in ea facta fuit reunio totius humanitatis cum Verbo, & veluti quædam restitutio unionis hypostatica, ut alibi declaravimus. Notandæ verò sunt particule illæ *dignus, & qui occisus est*, quæ denotant mortem & passionem Christi fuisse causam meritoriam suæ resurrectionis & exaltationis. Unde perinde est dicere, *Dignus est qui occisus est*, ac dicere, *Dignus est, quia occisus est*, unde paulo ante propter eandem rationem dicitur: *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula ejus, QVONIAM OCCISVS ES.*

§. II.

Solvuntur objectiones.

Objicies primò cum Calvino: In sacris litteris non assignatur alia causa adventus Christi, quam nostra salus & redemptio, ut supra disp. 5. variis Scripturæ testimoniis declaravimus: At si Christus sibi meruisset gloriam corporis, & exaltationem sui nominis, sola causa adventus ejus in mundum, non fuisset nostra salus & redemptio, sed etiam proprium commodum & utilitas, nimirum gloria sui corporis, & exaltatio sui nominis: unde magis pro se incarnatus & mortuus esset, quam pro hominibus, ut olim contra Arrianos arguebat Cyrillus lib. 3. thesauri cap. 2. ubi sic ait: *Si verò ut ipsi dicunt, exaltatus post Incarnationem est Filius Dei, & factus sublimis, quod antea non habebat, pro se magis incarnatus esset, quam pro hominibus, sibi enim magis secundum vos profuit, quam hominibus: ita non pro nostra salute magis, quam ut ipse exaltaretur, nomenque maximum assequeretur, homo factus esset.* Addit Calvinus, quod si Christus aliquid sibi meruisset, dilectio ejus erga homines frigeret; nam quærens ex suo merito propriam utilitatem, non ita diligit illum cui ali-quod donum meretur, ac si nihil utilitatis sibi ex tali motivo quæreret.

Respondeo quod licet finis primò & principaliter intentus per adventum Christi, fuerit salus nostra & redemptio, hoc tamen non obstat quin Christus secundariò & minùs principaliter potuerit intendere gloriam sui corporis, sui que nominis exaltationem, & ad illam obtinendam merita sua secundariò ordinate. Exemplum habemus in Angelis, quibus Christus illuminationes & gaudia quædam accidentaliter promeruit, sicut hominibus gratiam & gloriam essentialem; cum hac tamen differentia, quod *humanitas Christi* (ut ait S. Thomas quæst. 29. de verit. art. 4. a 1. 5.) *ordinatur ad influentiam quam facit in homines, ut ad finem intentum: influxus autem in Angelos, non est ut finis Incarnationis, sed tanquam Incarnationem consequens.* Ita similiter dicimus, quod licet Christus morte & passione suâ meruerit sibi gloriam corporis, & nominis sui exaltationem; hoc tamen non fuit de primaria ejus intentione, præcipua enim passionis suæ causa fuit nostra redemptio. Unde quemadmodum Christus pro Angelis non dicitur incarnatus vel mortuus, ita nec propter se venisse & mortuum esse affirmari potest, nam iste modus loquendi denotat primum & præcipuum mortis, adventus, & passionis Christi finem ac motivum.

P P P iij

Disp. 7.
art. 3.
parag.
3. coroll.
ultimo.

172

173

171.